DE MENSTRUATIONE TRACTATUS PHYSIOLOGICUS AUCTORE D…

D. Friedlander

DE

MENSTRUATIONE

TRACTATUS PHYSIOLOGICUS

AUCTORE

D. FRIEDLAENDER

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

MDCCCXLII

§. 1. *Definitio.*

Menstruatio (catamenia, menses, regula) est profluvium sanguinis in mulieribus pubescentibus ex utero per aliquot dies perdurans, et omni mense lunari periodice recurrens.

§. 2. *Dignitas Menstruorum.*

Functionem hanc pro tota organismi oeconomia summe esse momenti, partim exinde patet, quod nulla existat functio, quae ejus suppressione non turbari, nec morbus, qui inde exoriri non possit, partim ex eo, quod natura eam, si naturali modo deficit, per alias haemorragias supplere conetur. Ita laudantur exempla de foeminis, quae per nasum, pulmones, per gingivam, glandulas salivares, conjunctivam, meatum auditorium exterum, quae per ventriculum vel ex apice digitorum vel per umbilicum menstruatae sunt, imo existunt etiam exempla de spontanea venae apertura, deficientibus menstruis.

§. 3.

Si in virgine pubera fluxus menstruus debito tempore non adparet, singularis evolvitur morbus Chlorosis dictus, in quo omnes vitae functiones plus minusve laeduntur. In puellis hoc morbo detentis color cutis fit pallidus, qui paullatim in cinereum abit, talem etiam induunt colorem labia, gingivae, oculi in orbitam relapsi, annulis lividis cinguntur, (baematopöesis manca) percipiunt aegrae palpitationem cordis, pulsus fiunt parvi frequentes, imminuitur calor, manuspedesque frigescunt, (passio systematis vascularis) appetitus prosternitur vel alienatur, oritur pica vel malacia, se et excretiones fiunt irregulares, (digestio perversa) conqueruntur de dedalatione artuum, de lassitudine, inertes sunt ad motum perficiendum, (irritibilitas laesa) accedit moestitia, melancholia, loca obscura ab hominibus relicta amant, mox in lacrymas erumpunt, mox cachinnantur, cupiunt, nolunt, meditantur, salacitate torquentur (sensibilitas perversa). Haec tristem vitam miserae ad annum 19 saepius ducunt, omnem-

que medici curam deludunt, donec matrimonio felici junctae, vegetam recuperant sanitatem.

§. 4. *Tempus primae adparitionis.*

Quum tempus primae adparitionis menstruorum simul cum pubertate incidit, nobis a re non alienum esse videtur, hic quaedam de pubertate muliebri adnotare.

Sub hac periodo notabiles in foeminis observantur mutationes, quae partim ad *organa sexualia* et quidem ad eorum vitam *plasticam* et *sensiferam* partim ad *totum organismum* referri possunt. Quo ad organa sexualia sequentes nascuntur metamorphoses: Uterus qui in puellis non pubescentibus, corpus sistit parvum fere cylindricum, durum quasi cartilagineum, ingruente pubertate volumine adaugetur, quum vasa, quo prius nonnisi tantum sanguinis vehebant, quantum ad nutritionem ejus necesse erat, nunc copia et extensione augentur; vita uteri ergo plastica auscitatur, ejus textura fit mollior, spongiosior, figura pyriformis. Vagina evadit mollior simulque magis intenditur, labia exteriora elongantur, pleniora et solidiora fiunt, et in pube pili erumpunt. Mammae etiam pleniores factae magis prominent, papillae earum prius parvae et insensiles, facile nunc irritantur, nec non areola, qua cinguntur, magis colorata adparet. Cum materialibus hisce mutationibus in systemate genitali etiam dynamicae contingunt. Receptivitas enim organorum sexualium in omnes influxus mirum in modum augetur et receus in iisdem excitata actio tantas est dignitatis in omnes reliquas vitae manifestationes, ut tempore pubertatis vix morbus aliquis gravior in foeminis occurrat, cui anomalia functionum genitalium non associaretur. Hae mutationes, uti diximus, nequaquam ad organa sexualia restringuntur. Etenim in puellis pubescentibus simili ratione ac in adolescentibus singularis nexus organorum sexualium cum organis vocis deprehenditur; larynx imprimis hoc tempore tum magnitudine, tum ambitu augetur, in omni dimensione dilatatur, eoque vox redditur purior magis sonora et majori cum expressione pronuntiatur. Ossa pelvis evadunt majora ac latiora, eorum symphises, cartilagines et ligamenta firmiora, eoque regio sacralis perfecte explicatur. Non minores demum mutationes dynamicae proinde etiam

in sphaera mentali et animo hac periodo manifestantur. Sensibilitas enim, licet in foemina omni aetate emineat, circa hanc periodum praecipue praevalet, cujus nimia exaltatio in integro systemate nervoso, praesertim vero in systemate sphaerae gangliaris cernitur, dum irritabilitas haud parum nonnunquam imminuta observatur. Inde peculiaris in puellis hacce periodo sensibilitas adversus impressiones ingratas, inde haud raro observatur propensio in fletum et ab hoc citus transitus in immodicam laetitiam, inde tanta in legendas fabulas romanenses et theatra frequentanda proclivitas, inde demum non exiguum pro illis in exemplis captiosis et drammatibus amatoriis periculum.

§. 5.

Pubertas haec, cujus flos menstruatio considerari potest, promovetur vel retardatur coeli temperie, vivendi ratione aliisque circumstantiis. In plagis temperatis anno 14.° pubes est puella, tardius in locis septentrionalibus, citius in callidis. In Germania anno 16.°—18.° menstrua regulariter intrant, in Gallia septentrionali 14.° meridionali 13.°, in Italia et Hispania 12.°; in insula Minorca 11.°; in Africa, Arabia, Persia, India orientali anno 9.° imo et 8.° Apud nonnullos populos, regiones septentrionales incolentes uti apud Lappones, Samojedos, Tungusos et Camschadales, foemina jam anno 12.° menstruis salutatur. Foeminae Aethiopicae, quae in nostro climate educatae sunt, tamen maturius menstruantur. Ex his duabus observationibus Celeberrimus Burdach concludit, coeli varietatem non tantum exserere influxum, quam potius hominum varietates. Sed plus quam coelum et hominum varietates confert educatio et vivendi modus. Hinc observatum est, fluxum illum citius adparere in puellis urbanis, quae vitam opiperam, otiosam agunt, in continua et liberiori virorum societate versantur, quae phantasiae ludibriis se tradunt, quae choreas et equitationem amant, quam in puellis rusticis, castis et modestis, quae laboribus a natura non alienis, corporis animique facultates exercent. Sic Burdach circa hoc objectum egregie disserit:

« Wo die Gesundheit kraeftig ist, die körperlichen und geistigen Kraefte ohne Treibhauskultur tüchtig und vielseitig geübt werden, und der Seele nicht ihre Unschuld

geraubt wird, erscheint die Pubertæt im 16.[1] Jahre, zum Theile noch etwas später, wie den manche Jungfrau erst im 18.[1] Jahre menstruirt wird und als Weib eine vollkommene Zeugungskraft entwickelt.»

§. 6. *Tempus cessationis.*

Valet regula generalis: Quo maturius menstrua adparent, eo citius desinunt, et quo serius incipiunt, eo longius perdurant. Cousuetim vero cessant ab anno 40-50.

§. 7. *Phoenomena menstruorum.*

Phoenomena menstruorum trifariam dividi possunt, nempe.
1. Primam menstruationem antecedentia.
2. Hunc fluxum concomitantia.
3. Eundem subsequentia.

§. 8.

Phoenomena primum catameniorum accessum antecedentia generatim in omnibus puellis, sed cum diverso vehementiae gradu observantur et *Molimina menstruorum* vocantur. Haec functione iterata imminuuntur et tandem plane evanescunt. Sunt vero duplicis generis, nimirum *topica*, in organis sexualibus manifesta, et *universalia*, in toto reliquo organismo conspicua.

§. 9.

Signa *topica* ex incitata omnium partium genitalium imprimis uteri vita tam *plastica*, quam *sensifera*, profecta sequentibus conspicua redduntur: Uterus, vasis ejus sanguine turgescentibus, volumine et mole auctus extenditur et inferius in pelvim descendit, ostium ejus externum, rotundam fere assumit formam, in toto ambitu fit mollius laxius, labium posterius prolongatur, labia majora tument et calent, secretio muci alienatur quo ad qualitatem, et quo ad quantitatem. Vita *sensifera* incitata palam fit per sensationem doloris et tensionis in regione sacrali, qui ad regionem hypogastricam propagatur. Percipitur praeterea femorum stupor et myrmekysmus, oriuntur non raro dolores transversales lancinantes (colica catamenialis). Hoc tempo-

re virgines majorem habent sensum salacitatis, et facilius virorum impetibus cedunt.

§. 10.

His phoenomenis topicis accedunt in puellis sensibilibus etiam *universalia:* Excitatur nimirum *systema vasculare*, ita ut species febriculae exoriatur, pulsus fiunt duri e accelerati, plani, nonnunquam irregulares, accedunt congestiones versus encephalon, hinc ruber faciei, cephalea, hallucinationes sensuum, susurrus aurium, oculi, qui splendorem emittunt, halonibus lividis cinguntur, lineamenta faciei peculiari modo mutantur. Augetur etiam calor cutis, alienatur transpirationis odor, nonnunquam exanthema evolvitur. Exaltatur dein *systema nervosum*, ita, ut omnes influxus gravius persentiantur. Menstruatae plerumque sunt morosae, ad somnum proclives. Valde inclinant hoc tempore ad sonambulismum et magnetismum animalem.

§. 11.

Praegressis his moliminibus incipit fluxus menstruus cum in modum, ut prima die pauca tantum quantitas sanguinis, humore mixta seroso, secernatur, altera die lympha admiscetur, tertia vero die fluxus mere sanguineus, crassus et spissus, quarta die miscetur cum lympha, et quinto iterum est seroso-aquosus, sexta autem cessat; tota itaque menstruationis periodus quinque dies perdurat et quovis 23.º die iterum recrudescit.

§. 12.

Veluti molimina menstruorum plerumque signa plethorae sistunt, ita menstruatione absoluta, signa virium exhaustionis observantur, foeminae enim quidquam debilitantur et langvent, fiunt pallidae, oculi retrahuntur, robur musculorum imminuitur et actio systematis sanguiferi mitigatur.

§. 13. *Quantitas sanguinis eliminati.*

Quantitas sanguinis, quae singulis periodis eliminatur, pondus 5–6 unciarum aequat, quae tamen valde variat pro diversis rerum adjunctis, unde, Aristoteles omnem tertiam menstruationem alias excedere statuit. Hyppocrates et Ga-

leuna istam quantitatem decem et octo unciarum dijudicant. Haller 6–12, Baudeloque 4–5, cui sententiae omnes physiologi recentiores consentiunt.

§. 14. *Qualitas seu indoles sanguinis menstruati.*

Circa naturam sanguinis catamenialis semper valde dissentiebant medici. Hyppocrates sanguini animalis recenter mactati similem esse, existimabat. Alii veneficam ei tribuerunt naturam; haec opinio imprimis ab Arabibus divulgata est. Videbant enim menstrua in organis genitalibus producere irritationem, inde concludebant, esse venenum. Doctrinam illam vulgus varie interpretabatur. Dixit unus sanguinem illum inspirare amorem, et revera philtra amatoria, ex eo conficiebantur; dixit alter, quibusdam animalibus uti bombyci, mortem adferre, alius, plantis esse laetiferum. Etiam Columella hanc ultimam opinionem superstitiosam amplexus sequentia in suo libro pronuntiat: « Mulier in » menstruis visa novellos foetus necat cucumeris. » Etiam nostris temporibus hortulani mulieres et filias menstruatas ad plantas tenaras colendas non admittunt. In quibusdam Bohemiae regionibus mulieres sub menstruationis periodo cerevisiam et lac acidum reddere, creditur. Apud Hebraeos, marito nefas erat et adhuc est, catameniorum tempore, munera matrimonialia exercere, sed non ob malignitatem, quam illuui illi tribuerunt, sed quia uti dicebant tunc temporis organa illa debilia sunt et coitu eo magis debilitantur, ita ut partus dein difficilior reddatur. Quam ob rem dicunt Talmudistae, mulieres, quae huic praeceptui non obtemperant, moriuntur sub partu.

§. 15.

Sanguis menstrualis differt ab alio sanguine eo, quod majorem quantitatem carbonii, minorem vero fibrinae et azoti contineat quod sequentibus probatur: 1.° Celeberrimus Lavagna multa circa hanc rem experimenta instituit, subjiciendo sanguinem illum chemicae inquisitioni, et nullo modo fibrinam separare potuerat. 2.° Non facile putrescit, ex minore quantitate contenti azoti. Osiander sanguinem menstrualem in vasis proba clausis per annos asservavit, quin in putredinem abiverit.

§. 16. *Fons menstruationis.*

Etiam de fonte menstruorum disceptarunt inter se physiologi: sunt qui dicunt, ex utero scaturere sanguinem illum, et eorum opinionem argumentis defendunt, sunt et alii, qui etiam argumentis fulti, e vagina manare, asserunt. Nos vero credimus vasa capillaria uteri generatim fontem sistere, e quo sanguis tempore menstruorum scaturit, sed sub graviditate et in aliis casibus, ubi activitas uteri impedita est, vaginam hanc functionem perficere, qui casus tamen rarissimi sunt et ad statum morbosum potius quam ad normalem pertinent.

Sententia haec sequentibus observationibus demonstratur:

1. In quibus adest uteri prolapsus, sanguinem tempore catameniorum ex orificio hujus organi stillare videbant.

2. In cadaveribus foeminarum tempore menstruationis, defunctarum, in superficie uteri externa vestigia sanguinis inde excreti deprehendebantur.

3. Si sanguinis secessui impedimentum aliquod opponitur v. g. atresia orificii uteri, uterus ita expanditur, ut gravida esse videatur foemina.

4. Lochia, quae analoga sunt menstruis et haemorrhagiae sub abortu etiam ex utero proveniunt.

5. Materiae in vasa uteri injecta facillime in cavum ejus transgrediuntur.

§. 17. *Causae menstruorum.*

Ad explicandam foeminarum menstruationem variae ab antiquissimis temporibus statutae sunt hypotheses. Ita Aristoteles eandem ab influxu cosmico lunae explicavit dicens: lunam rarefacere sanguinem et eo modo ex utero elicere. Absurditas hujus hypotheseos neminem nostris temporibus latebit. Silvius e Jatrochemicis comparavit uterum cum alembico destillatorio, quae sententia etiam per se cadit.

§. 18.

In quarto congressu scientifico Italico, qui mense Septembris Patavii habebatur, ingeniosus hujus urbis medicus, facultatisque medicae Decanus D.r J. Argenti tractatum de

menstruationc legit, in quo defendit theoriam De la Roux asserentis. » Causam immediatam catameniorum consistere » in periodica separatione unius vel plurium ovulorum ab » ovariis, eorumque translocationem in uterum per tubas » Fallopianas » quam sententiam sequentibus et aliis conatus est probare argumentis.

I. Autopsia. Cum multas Auctor in foeminis sectiones instituerit, semper observavit progressivam ovulorum in ovariis evolutionem, a vario eorum colore, magnitudine, situ et cohaesione desumptam. Praeterea in foeminis menstruatis, quamquam adhuc virginibus constanter reperuit corpora lutea vel cicatriculas, et istas in recenter menstruatis fere apertas subtilissima membrana obtectas cum grummis sanguinis in vesiculis Graafianis. Non menstruatae cicatriculis ovariorum omnino carebant.

II. Productum periodicum ovariorum (quae uti organa secernentia sunt consideranda) simile observatur in caeteris animalibus praecipue oviparis, quae data aetate et tempore ovula non foecundata sponte dimittunt.

III. Menstruatio signum fere foeminae capacitatis ad faecundationem similis est humori, qui apud alia animalia amoris epocha ex genitalibus excernitur.

IV. Menstruatio cum fructificatione in summo versatur nexu, hinc foeminae non menstruatae generatim steriles sunt. Porsaepe meretrices simul amenorrhoicae et steriles sunt. Hujusmodi menstruationis opinionem etiam communem foecundationis theoriam modificare posse, opinatur Auctor. Haec hypothesis nequaquam spernenda ulteriorem indagationem mereretur.

§. 19.

Medici practici consuetim menstruationem ex plethora universali explicant, quae quod non possit esse unica causa vel exinde patet, quia etiam in puellis pallidis et emaciatis, quae itaque abundantia sanguinis laborare non possunt, fluxus catamenialis et non raro etiam longior, quam plethoricis eveniat, tum quia phlebotomia instituta, qua phlethora tollitur, fluxus menstrualis cessans prolicitur. Hinc jure concludimus: duas causas principales fluxum menstruum producere, una nempe est universalis — *Plethora* — altera localis — *Periodica exorbitantia nisus plastici uteri.*

§. 20.

Nisum plasticum in toto organismo foeminae re vera esse majorem, sequentibus elucet:

1. Omnia momenta, quae sanguinis formationem, copiam et expansionem intendunt, uberiorem etiam ejusdem fluxum tempore catameniorum efficiunt, uti vita lauta, otiosa, dum momenta contraria, vitae genus frugale, nutrimentorum inopia, contrarium quoque effectum exserunt.

2. Circuitu sanguinis accelerato ejusque expansione intensa, uti potibus spirituosis, motu nimio, calore excedente, animi pathematibus incitantibus, catamenia etiam longiore copia fluunt, dum agentibus momentis oppositis, contrarium quoque observatur.

3. Suppressione menstruorum plerumque subsequuntur phoenomena excedentis copiae sanguinis, inde congestiones activae ad varias partes, haemorrhagiae ejusdem characteris, nec non inflammationes ipsae variorum organorum, nascuntur.

§. 21.

Causa localis uti supra diximus, in exorbitantia periodica organorum sexualium, imprimis vero uteri, constat. Nam omnia momenta, quae vitae in organis pelvis, praecipue vero in organis genitalibus vigenti, stimulum aliquem addunt, uti pediluvia, vapores callidi ad partes sexuales directi, remedia drastica (emenagoga) intendunt profluvium menstruum. Hinc foeminae libidinosae, amplexum viris justo frequentius concedentes, copiosiori consuetim fluxu menstruo plectuntur.

§. 22. *Periodicitas menstruorum.*

Aristoteles, Galenus, Mead, Darvin aliique, hujus periodi causam praecipuam lunae gravitationi tribuerunt, uterum cum oceano comparantes, et cum luna sit causa aestus maris, eandem causam fluxum menstruum gubernare, docebant, eo argumento ducti, quod adparitio menstruorum lunae phasibus respondeat. Attamen si lunae influxus in menstruationem tantus esset, omnibus certe foeminis in determinata ejus phasi catamenia subintrare deberent,

quum contra, teste experientia, nulla mensis dies assignari potest, qua foeminae non menstruarentur; praeterea etiam periodi menstruationis, ubi regulares sunt, magis cum mensibus solaribus concordant. Celeberrimus Haller, cum hujus fluxus periodum difficulter explicari posse videret, ne vanis et imaginariis rationibus fulciret sententiam, haec argute profert. « Si requiras, cur menstrua magis quam alia » quacunque periodo nascatur plethora, et per uterum ex» purgetur, non magis credo me ad respondendum teneri, » quam teneri, si quaereres, cur nono mense foetus huma» nus in lucem edatur, alio mense equinus orilus, aut si » rationem peteres, quare plantae aliquae Aprili mense flo» reant, aliae Majo, Junio, et quarta sexta post florem sep» timana, cerasa maturescant, quarto mense poma, casta» neaque quinto..... »

§. 23. *Effectus menstruorum.*

Effectus menstruorum etiam duplicis generis sunt, *proximi* nimirum functionem generationis spectantes et *remoti* statum totius organismi concernentes.

§. 24.

Proximi sunt sequentes: 1. Menstruatio facultatem genitricem in systemate sexuali mulieris conserrat et tuetur, facultas enim hac per secretionem cruentam ita exercetur, ut diutius possit perseverare.

2. Per menstruationem receptivitas uteri versus stimulos sexuales extollitur, hinc foeminae post menstruationem facilius concipiunt quam ante.

3. Menstruatio, derivando quasi vim generatricem praecavet, ne instinctus sexualis foeminae in humilem oestum venereum, animalium ad instar diragetur, eoque libertatem moralem foeminae humanae tuetur.

§. 25.

De effectibus catameniorum remotis variae semper dominabantur opiniones et adhuc dominantur. Veteres de purgatione organismi, ope menstruationis, qua materia nociva e corpore eliminantur, locuti sunt. Quam opinionem valde esse erroneam ex eo concludi valet, quod in sanguine men-

atruis egesto, nulla indicia incipientis acrimoniae putridae deprehendantur, etsi nonnunquam sanguis ille calorem mutat et foetidus et corruptus evadat, hoc ex procrastinata mora inter vaginae plicas vel in utero ipso, vel etiam a calore, tunc temporis in genitalibus adaucto, imo et ex morboso uteri statu est repetendum.

§ 26.

Roussel multas opiniones neotericorum uniens, adserit, *menstrua esse morbum*. Hanc sententiam sequentibus argumentis probare adnisus est:

1. Maxima interest analogia hominem inter et animalia. Sed apud animalia menstrua non observantur.

2. In quibusdam animalibus observatur fluxus sanguineus, sed non est periodicus, neque apud omnia animalia animadvertitur. Quam ob rem concludere fas est, fluxum illum etiam apud hominem non esse naturalem, sed potius effectum abusus libidinum et recessus a primitivo naturali hominum statu.

3. In temporibus antiquissimis non existebant menstrua.

4. Etiam nostris temporibus in quibusdam regionibus non animadvertitur purgatio menstrualis.

5. Multi sunt morbi haereditarii, ad quos menstrua pertinent.

6. Catamenia antecedunt, comitantur et sequuntur symptomata, quae statui sano propria non sunt.

§. 27. *Refutatio.*

ad 1. Est quidem analogia inter animalia et hominem; sed adsunt etiam differentiae, et dantur praerogativae ad quas etiam menstruatio pertinet.

ad 2. Fluxus ille qui apud quaedam animalia observatur, non potest comparari cum fluxu in muliere humano, nam communis non est omnibus animalibus ejusdem speciei, neque est periodicus, praeterea diversi est coloris et rarissime videtur.

ad 3. Menstrua non extitisse primis temporibus verum non est. Legamus sanctam scripturam, et inveniemus, jam apud Saram menstruorum fieri mentionem. Adfero verba Vulgatae: « Erant autem ambo (Abrahamus et Sara)

» senes provectaeque aetatis et desierant Sarae fieri muliebria. » Gen. XVIII. V. 11.

ad 4. In toto orbi terrarum secundum testimonium Geographorum, foeminae menstruantur, excipiuntur Albinae, sed quaeritur, an Albinae re vera in statu normali sint, nec ne.

ad 5. Parentes prolibus dispositionem ad morbos non vero morbos relinquunt.

ad 6. Symptomata menstrua antecedentia et concomitantia non sunt semper dolorifica, imprimis illae se bene habent puellae, quae a primis vitae annis, vitae duriori asuefactae sunt. Deinde etsi menstruis fluentibus aliae functiones non ita rite peraguntur, an hoc probet, fluxum illum esse morbosum? Sub digestione cerebrum officia suis non bene fungi potest, sed tamen adhuc neminem in mentam incidit, digestionem morbum dicere. Mutationes quae in menstruatis observantur ex dynamico oriuntur commercio, quod organa genitalia cum reliquo organismo sustinent.

§. 28. *Opinio hodierna.*

Catamenia ad integritatem organismi foeminei conservandam eo intuitu secundum opinionem clarissimorum auctorum Testa, Autenrieth, Osiander, Burdach contribuere videntur, quod functionem pulmonum, quorum actio in perficiendo sanguines respectu illius virorum minor est, quodam modo compleat, excessus carbonii in sanguine imminendo. Hanc opinionem praesertim phenomena Chloroseos confirmant, cujus morbi ultima ratio plerumque in retenta systematis sexualis evolutione et inde cohibito fluxu menstruo tempore pubertatis ingredientis consistit: omnia quippe hujus morbi phoenomena cohibitam sanguinis justae qualitatis formationem et praepondium in hoc latica carbonii contestantur.

§. 29.

Analogia menstruorum cum pruritu sexuali animalium.

Sub pruritu uti sub menstruatione vita organorum genitalium animalium periodice evecta est et tum phoenomena irritationis et subsequentis effusionis observantur. Jam veteres sciviis, vaccis, cervis, canibus, menstruationem ad-

scripsere, quum pruritum illum viderent, imo et reditus ille lunaris apud simias et vaccas animadvertebatur; sed:

1.° Tempore pruritus nunquam e genitalibus animalium sanguis, sed tantum mucus sanguine quidquam tinctus stillat.

2.° Haec secretio adaucta, quam phoenomena inflammationis concomitantur in sphaera genitalium externa obtinet; dum in foemina humana uterus sit sedes profluvii, nec unquam vestigia inflammationis verae in sphaera externa palam fiunt.

3.° Tempore menstruationis instinctus sexualis silet at quidem lassitudinis gradus in sanissimis quoque foeminis observatur, dum contra in animalibus tempore pruritus majus omnium virium robur accedit et masculorum instinctus sexualis nimium in modum exaltatur.

4.° Copula sexualis tempore menstruationis naturae repugnat, quod jam rudissimae gentes agnoscunt, foeminam menstruantem impuram esse, quae ab hominum societate separari debeat, existimantes.

§. 30. *Analogia menstruorum cum haemorrhoidibus.*

In sexu virili etiam fluxus observatur sanguinis e vasis abdominalibus, cui etiam praecedunt molimina, et quam concomitantur phoenomena non dissimilia illis sub menstruatione, (colica haemorrhoidalis) nonnunquam et typum agnoscit fluxus ille, sed:

1. Videntur haemorrhoides apud paucos viros, suntqua symptomata morbi.

2. Adparet etiam apud foeminas menstruatas. Ego novo puellam 18 annorum, quae profusis menstruis omni mense regulariter decurrentibus, simulque fluxu haemorrhoidali copioso, irregulariter reverteuti, vexatur.

3. Haemorroides, non tempore pubertatis ut menstrua sed in aetate virili intrant, nec in certa vitae periodo cessant.

§. 31. *Conclusio.*

Est ergo menstruatio ut ex §§. praecedentibus redundat, fluxus sui generis, nulli alii aequiparandus, molieri humano solummodo proprius, ad conservationem individui et ad propagationem speciei summe necessarius.

THESES DEFENDENDAE

I. Anatomia physiologica et pathologica medico sit Ariadne.

II. Sanguis menstruus, venoso magis accedit quam arterioso.

III. Connubium medicamentorum plurium in una formula, recondit morbi et medicaminum naturam.

IV. Fallax speculum crusta inflammatoria ad aestimandam phlogoseos intensitatem.

V. In Diaeteticis plus salutis, quam in lagaenis pharmaceuticis.

VI. Chlorosin saepius Hymen quam Mars vincit.

VII. Hysteria lapis Lydius patientiae medicorum.

VIII. Non est indifferens infanti, an matris vel nutricis praebeantur ubera.